



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt VIII. Generalis congregatio decimo Nouembris. Canones ac Decreta comprobata cum aliqua repugnantia. Quid statutum fuerit de particulâ, saluâ Sedis Apostolicae auctoritate, ac de verbis, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

*Generalis congregatio decimo Nouembris. Canones ac Decreta comprobata cum aliqua repugnantia. Quid statutum fuerit de particulâ, saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate, ac de verbis, proponentibus Legatis. Turbatio propter controuersiam inter Episcopos & Archiepiscopos. Sessio undecimo Nouembris. Canones & Decreta proposita tum de dogmate tum de abusibus matrimonij. Disceptatur de obseruatione aut transgressione Decreti, legum relaxationes in matrimonijs raro, ex causa, & gratis esse concedendas.*

¶ Quidquid hic & sequenti capite narratur, extat in Actis Romanis, Paleotti, & Salmanticensis Epif.

**N**ono die Nouembris duo cœtus habiti sunt à selectis Patribus, ad componendos ita Canones, vt cunctis partibus, quantum posset, fieret satis. Postridie conuentus vniuersalis coactus est, ad Sessionem die sequenti celebrandam. Ab eo cœtu amplioris libertatis gratiâ ij omnes exclusi sunt, qui nec suffragij ius obtinebant, nec aderant tamquam eorum procuratores quibus suffragari fas erat; cùm ad alios conuentus multi ex primarijs Theologis, sicuti dictum est, admitterentur.

Proposita sunt primo loco Canones & Decreta de Matrimonio. Non placuit Lotharingo, vt anathema poneretur in sexto aduersus negantem, matrimonium non consummatum per professionem religiosam dissolui: nec vt similiter in nono vibraretur anathema in eum, qui affirmat, posse contrahi matrimonium à persona in sacris Ordinibus constituta, aut à Religiosis professis, non obstante seu lege Ecclesiasticâ, seu voto; cùm ipse postularet, vt vice *legis Ecclesiasticæ* scriberetur, *legis*, simpliciter.

Madruccius idem reprobauit. Nec minùs reiecit impedimentum; quod inducebatur, seu potiùs renouabatur inter raptorem & raptam antequam illa libertati fuisset restituta; & efficaciam clandestinis sublatam. In his omnibus sententijs complures illum secuti sunt; ac præcipuè in postrema, de qua quadraginta sex conuenerunt, & septem animi sui declarationem Sessioni referuarunt.

Antequam ad Decreta disciplinæ deueniretur, primus Legatorum dixit, Complures sensisse præponendam illis esse hanc particulam, *saluâ semper Apostolicæ Sedis auctoritate*; alios tamen prudenter cogitasse, opportunius esse post emendationis totius leges eam apponi: cùm enim ætate Pauli III. in principio collocata fuisset,

fuisse, videri consentaneum rationi, vt eadem in fine responderet: atqui si hinc & illinc spargeretur, occasio calumniarum hæreticis præberetur. Collectis super eo sententijs, tres supra centum de hoc consensere. Postea verò in Sessione denuò rogati sunt Patres sententias, quo decerneretur, memoratam particulam absque noua suffragatione suo tempore ad calcem totius emendationis addendam esse: quod concorditer acceptum est. Post hæc proposita fuere Decreta: & Arrius Cagliagus Episcopus Gironensis animum præ se tulit contestandi; sed Moronus aspectu ac sermone grauissimo illum præueniens, dixit: Quicumque auderet pronuntiare, à se pro vano haberi id quod ab ea sacrosancta Synodo comprobandum erat, eum inde meritò expulsam iri. Hæ voces tonitruum vim habuere, quod Cagliagum atque alium quempiam, fortasse pariter affectum, deterruit: & communi plausu exceptæ sunt, quippe libertatem in rebus deliberandis minimè restringentes, sed proteruiam in deliberatis retundentes.

5 Cùm itaque ad dicendas sententias veniretur, prospero cursu, paucis contradicentibus, paucisque mutatis, sunt confecta Decreta. Solùm in quinto, vbi agitur de cognoscendis committendisque causis Episcoporum, sublata fuerunt in gratiam Lotharingi amplissimæ derogationes cuiusque priuilegio iam appositæ; idque ne apertum detrimentum prærogatiuis Ecclesiæ Gallicanæ in eo contineretur, quandoquidem ille non impetrauerat, sicut petierat in antegressu examine, vt Prouinciarum priuilegia diserte illæsa seruantur: in quò necesse habuit vt <sup>b</sup> ardenter se gereret, quoniam super hoc articulo Venetijs conquesti fuerant de Synodo Gallici Oratores.

<sup>b</sup> Ex litteris productis Oratorum ad Regem, 5. Nouemb.

Postremò propositum est Decretum de memoratæ declaratione particulæ, *proponentibus Legatis*: atque id pariter vno quasi animo receptum est.

6 Absoluto confesso, cùm videbantur cuncta frui securâ tranquillitate, noua perturbatio orta est. Legati neque per se neque per sequestros potuerant dissensionem, de qua diximus, inter Episcopos & Archiepiscopos componere; cùm alteri conquererentur, accitibus illos, usurpatos præcipuè in Regno Neapolitano, ad obedientiam profitendam, moremque pro arbitrato visitandi, onera quadam esse propter meram prærogatiuæ iactationem; alteri verò contra profertent pro se possessionem omni memoriâ vetustiorum, priuilegia, & ordinem Hierarchiæ, postulantes, sicut aiebant, vt per gradus superioribus inferiores subijcerentur, donec ad

1563.

supremum ascenderetur, videlicet summum Pontificem. Itaque concordia non succedente, lis decisioni commissa est: & Mutius Callinus Archiepiscopus Iadrensis, non ordinis sui, sed aduersariorum causam suscepit, siue simpliciter, quod illa videretur ipsi æquior, siue (vt insimulatus est ab ijs, qui quidquid ab alijs agitur, utilitatis causâ fieri putant) quod intenderet Veneto Patriarchæ se subtrahere. Is itaque censuit, Episcopos compellendos non esse vt ad Metropolitanarum Ecclesias irent, nisi ad Prouincialem Synodum celebrandam; & solùm propter causas in huiusmodi Synodo statutas liceret Episcopis Ecclesias suffraganeorum inuisere: & alia subiecit, Episcopis fauentia, quæ in Sessione recensuimus. Equeidem complures pro hac sententia disseruerant; adeoque communis erat opinio, etiam Legatorum, illam numero præualuisse: sed reuerà sicut magnitudo par multitudini apparet, ita quorundam prolixitas in dicenda sententia pro hac parte, effecerat vt pauci pro multis haberentur. Quamobrem absoluto conuentu, qui horâ decimâ octauâ inceperat, & octo continentes horas insumplerat, cum postea suffragia reipla connumerata sunt, & non animo solùm dimensa, oppositum compertum est per summam agrimoniam Episcoporum; qui loquentium festinationi id tribuebant, quasi eâ impedimento fuerit, ne ab ijs, qui erant à secretis, multorum sententiæ notari potuissent. Idcirco tamen quarta noctis hora iam flueret, & statim manè functio inchoanda esset, nihil diligentia omiserunt, quod suffragia hîc talia audirentur, qualia & ipsi & alij in congregatione crediderant.

Acta Paleotti, & Artis Æliæ.

Horâ decimâ quintâ acta solemnia cœpta sunt, quæ admirabili diurnitate ultra secundam noctis horam perpetuò producta sunt. Sacrificium Missæ de Spiritu sancto celebravit Georgius Cornelius Episcopus Teruisinus: Latine perorauit Franciscus Richardotus, Episcopus Atrebatensis, super Euangelio postea recitando, quod incipit, *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*: selectum enim est tamquam agitato dogmati accommodatum. Lectæ sunt litteræ Margaritæ Austriacæ, quæ Belgium administrabat, & mandata Oratoribus Florentino & Meliteni tradita, seruatò aduentus ordine.

Dein Canones & Decretum de matrimonio proposita sunt, cum breui proœmio huius sententiæ: *Matrimonij perpetuum indissolubile, nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronuntiauit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne vna.*

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & coniungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam à Deo prolata, referens dixit: Itaque iam non sunt duo, sed una caro: statimque eiusdem nexūs firmitatem, ab Adamo tanto antè pronuntiatam, his verbis confirmavit. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, suâ nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: mox subiungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubijs per Christum gratiâ præstet, merito inter nouæ legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt: aduersus quam impij homines huius seculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo, prætextu Euangelij, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiâ Catholica sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto & verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium iactura: quorum temeritati sæcra & vniuersalis Synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorum schismaticorum hereses, & errores, ne plures ad se trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eorumque errores decernens anathematisimos.

Sequuntur duodecim Canones huiusmodi.

I. Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè vnum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum; neque gratiam conferre, anathema sit.

II. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege Diuinâ esse prohibitum, anathema sit.

III. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediunt, & dirimant, anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonij dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit.

V. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse matrimonij vinculum, anathema sit.

VI. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.

VII. Si

1563.

VII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet, iuxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non posse dissolui, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœchariq; cum, qui dimissâ adulterâ, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alij nupserit, anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.

IX. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto; & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium, posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cum Deus id rectè petentibus non denegat, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.

X. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel calibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut calibatu, quàm iungi matrimonio; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, & alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnauerit; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos; anathema sit.

Subsequatur Decretum emendationis, in decem capita distinctum.

I. Tamest dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia non irrita fecit; (per hanc loquendi formulam illæsa in se relicta est utraque opinio, an ea irrita fecerit nec ne Euaristus) & proinde irre dammandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quiq; falsò affirmant, matrimonia, à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verùm cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse; & gravia peccata perpendat, quæ ex iisdem clandestinis coniugijs ortum habent, præsertim verò eorum qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palàm contrahant, &

cum

cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cum ab Ecclesia, qua de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis Concilij, sub Innocentio III. celebrati, vestigijs inherendo precipit, ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnias publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesie procedatur; ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vel alijs utatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque Prouincie ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes; tunc vel vna tantum denuntiatione fiat; vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus presentibus matrimonium celebretur. deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant; ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, ut predictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentia & iudicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quam presente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos presenti Decreto irritos facit, & annullat. Insuper Parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri precipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitq; benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad predictam benedictionem faciendam alij sacerdoti concedi posse; quacumque consuetudine, etiam immemorabili, qua potius corruptela dicenda est, vel priuilegio, non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius sacerdos, siue regularis, siue secularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochie sponfos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit; ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluat. Habeat Parochus librum, in quo coniugum & testium nomina, diemq; & locum contracti matrimony describat; quem

Pars III.

Ccccc

diligen-

1563. diligenter apud se custodiat. Postremo sancta Synodus coniuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pie accedant. Si quae prouinciae alijs, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus & ceremonijs hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne vero hac tam salubria praeccepta quemquam lateant, Ordinarijs omnibus praecipit, ut cum primum potuerint, curent hoc Decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesium parochialibus Ecclesijs, idque in primo anno quam sepius fieri solet, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut huiusmodi Decretum in vnaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis, in eadem Parochia factae, numerandos.

II. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multas in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo prouidere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut vnus tantum, siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatq; eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusari valeant. Quod si alij, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpam vel negligentiam secus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur. Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

III. Iustitia publice honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in vlterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio obseruari.

IV. Praeterea sancta Synodus, eisdem & alijs grauissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam induci-

inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo & secundo gradu coniunguntur, restringit: in ulterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.

V. Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequenda careat; idq; in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subijciatur penis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiat, cuius salubria præcepta temere contempsit. Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit; tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimonijs vel nulla omnino detur dispensatio vel raro: idq; ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.

11 Quod spectat ad hoc postremum Decretum, vnde captatur occasio frequentium querelarum de Romanis Pontificibus, quasi in utraque parte sæpius negligatur, libet mihi narrare quod audire mihi contigit ab ore Alexandri VII. Pont. Max. paucis post suam creationem diebus. Is itaque mihi dixit, utpote omnino animatus ad disciplinam reparandam, corruptelasque delendas, se statim fuisse pereontatum viros integerrimos, maximeque peritos Pontificiæ Dataria, quoniam pacto id Romæ perageretur aduersus Tridentinum Decretum: etenim tametsi ab illo Pontifex non obstringatur, & tum in principio tum in fine Concilij eius auctoritas integra referuatur disertis verbis; minus tamen laudabile videbatur, tam frequenter iudicium tam venerabilis Conuentus negligi. Responsum sibi fuisse, iure quidem obseruari, ut relaxationes ad Matrimonium spectantes gratis concedantur, hoc est, sine lucro eas concedentis: nam præter iura superiorum Pontificum, imperantium ut tota pecuniæ solutio pios in vsus impenderetur<sup>a</sup>, Innocentius X. adiecerat, ne pecunia ex huiusmodi relaxationibus collecta confunderetur cum reliqua pecunia, Quæstoris generalis curæ commissa; sed ut deponeretur in Monte Pietatis, & illinc abstrahi non posset, nisi mandato Pontificis, per quod illa reipsa in pia opera distribuereur. Quare non modò in hac parte decretum impleri, sed larvam omnem contrariæ suspicionis auferri. Quod verò ad alteram partem attinebat, nimirum, nonnisi raro has relaxationes esse concedendas; constare, à Pio V. Pontifice, præclaræ seueræ

<sup>a</sup> In Chirographo 8. Nouembris 1644. directo ad Dominicū Cecchinum Datarium, qui fuit postea Cardinalis.

3563.

que prohibitis, & qui obseruabat religiosè Concilium, post cuius exitum ferè illicò ad clauum federat, contrarium actum fuisse, atque ipsius exemplo eadem viâ eius successores incessisse. Causam autem, cur sanctus ille Pontifex ab eo Concilij Decreto recesserat, experimentum facti fuisse. Etenim cum obstacula, quibus irritum reddebatur matrimonium, essent multa, competum erat, sæpè contingere inter personas illorum aliquo præpeditas, immoderate appetentiæ violentiâ duorum animos adeò inflammari, ut nisi lex ipsis relaxaretur, ambo in graue delictum corruerent, aut aliàs inirent nuptias cum animi repugnantia, vitæque infelicitate: & sæpè etiam simularent, & fucò tegerent causas falsas, surripientes hac fraude cõcessiones velut inanimatas ac depictas, ac postea in sacrilegis matrimonijs ad mortem vsque persistentes. Contrà verò alios delicatiorè conscientiâ, quamquam veras magnique ponderis ipsi causas habeant ad relaxamenta obtinenda, tamen animo non quiescere, si ex earum efficacia fiat relaxatio, variis semper religionis aculeis ipsos vexantibus de veritate causarum, quas attulerunt vel in se ipsis, vel in earum conditionibus, adeoque semper vereri, ne coniugium, in quo viuunt, ratum sit; quod in perpetuo cruciatu illos detinet, sine remedio, & cum periculo ne per errorem conscientiæ multa peccent, & tandem incidant in desperationem salutis. Quocirca malle ipsos relaxationem sibi concedi nullâ expositâ causâ, & largiori eleëmofynâ persolutâ, quo animi quietem securitatemque sibi comparent. Et ex altera parte grauis causæ argumentum esse, quin reuera grauem causam ad relaxandum, esse pinguem illam muctam, quæ ab impetrante prompto animo soluitur in pauperum piorumque operum subsidium.

Hæc referre volui, quæ mihi dicta sunt à Pontifice eiusmodi prudentiâ ac religionis studio, cuiusmodi vel fatentibus hæreticis est Alexander VII. quò intelligatur, quantâ cautione opus sit antequam Principum, eorumque Tribunalium consuetudines damnentur, præsertim cum illæ sub optimis curæque solertissimæ Principibus perseuerant.

Quod si quis vulgare illud obijceret, Hac ratione, quâ vtuntur Pontifices, per eam prohibitionem non nisi pauperibus ligamen iniijci, cum diuites eius relaxationem vi pecuniæ consequantur; respondetur primo loco, simile quiddam obijci posse Concilio, præcipienti, ut in secundo gradu lex Principibus, & non alijs relaxetur. Secundo, neque hanc peculiarem indulgentiam concedi Optimatibus ac diuitibus in cunctis prohibitionibus; nec omitti debi-

debitam inter diuitem ac pauperem proportionem in imperanda e-  
 leëmofyna. Sed de cetero quòd diues multis fruatur fupra pauperem  
 prærogatiuis, Naturæ fãctio fuit, quò excitarentur homines ad  
 induftriam ac frugalitatem, ijdemq; ab ignauiã bonorumq; dif-  
 fipatione remouerentur. Atque in hoc fita eft iniuria, quam inferunt  
 ij qui furantur, in alijs fcilicet præpediendis, ne per pecuniam fuam  
 ea fibi bona comparent quæ honeftè poffent: quemadmodum è cõ-  
 trario in hoc fitum eft meritum voluntariæ paupertatis, nimirum,  
 in remouendis à fe commodis, quæ ex vfu bonorum proueniunt.  
 Atque ita videmus, in quacumque publicarum rerum adminiftra-  
 tione multas prærogatiuas rependi fubfidijs, quæ Reipublica con-  
 fert voluntaria pecuniæ collatio ciuium locupletum, quod repræ-  
 henfionem nec accipit nec meretur, dummodò id fiat moderatè;  
 idq; fupra ingentes diuitias ingentem virtutem æftimari, ac præ-  
 mjs affici: in quo fi quando Romæ peccaretur, noxa hominibus,  
 non institutionibus, nec Principatui tribuenda.

14 Iam verò Decretorum narrationem pofequamur.

VI. Decernit fãctã Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipfa  
 in poteftate raptoris manserit, nullum poffe confiftere matrimonium. Quod  
 fi rapta à raptoe feparata, & in loco tuto & libero conftituta, illum in vi-  
 rum habere confenferit, eam raptor in vxorem habeat; & nihilominus rap-  
 tor ipfe, ac omnes illi confilium, auxilium & fauorem præbentes, fint ipfo  
 iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapa-  
 ces; & fi Clerici fuerint, de proprio gradu decendant. Teneatur præterea rap-  
 tor mulierem raptam, fiue eam in vxorem duxerit, fiue non duxerit, de-  
 center arbitrio iudicis dotare.

VII. Multi funt qui vagantur, & incertas habent fedes, & vt impro-  
 bi funt ingenij, primã vxore relictã, aliam, & plerumque plures, illã vi-  
 uente, diuerfis in locis ducunt. Cui morbo cupiens fãctã Synodus occurrere,  
 omnes, ad quos fpectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium  
 ad matrimonium facile recipiant: Magiftratus etiam fæculares hortatur, vt  
 eos feuerè coërceant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimonys in-  
 terfint, nifi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium  
 delatã, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

VIII. Graue peccatum eft, homines folutos concubinas habere; graui-  
 mum verò, & in huius magni Sacramenti fingularem contemptum admis-  
 fum, vxoratos quoque in hoc damnationis ftatu viuere, ac audere eas quan-  
 doque domi etiam cum vxoribus alere & retinere. Quare, vt huic tanto  
 malo fãctã Synodus opportunis remedijs prouideat; ftatuit huiusmodi con-  
 cubinarios, tam folutos quàm vxoratos, cuiuscumque ftatus, dignitatis &

Ccccc 3

condi-

1563. conditionis existant, si, postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiuuerint, excommunicatione feriendos esse; à qua non absoluantur, donec re ipsa admonitioni facta paruerint. Quòd si in concubinato per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, siue coniugatae, siue solutae, quae cum adulteris seu concubinarijs publicè viuunt, si ter admonitae non paruerint; ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpae puniantur; & extra oppidum, vel diocesim, si id eisdem Ordinarijs videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio seculari, eiciantur: alijs penis contra adulteros & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

IX. Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratum mentis oculos terreni affectus, atque cupiditates excacant, ut viros & mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maxime diuites, vel spem magnae hereditatis habentes, minis & penis adigant cum ijs matrimonium inuitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare cum maxime nefarium sit matrimonij libertatem violare, & ab eis iniurias nasci, à quibus iura expectantur; praecipit sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis & conditionis existant, sub anathematis pena, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quò minus liberè matrimonia contrahant.

X. Ab aduentu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniae, & à feria quarta Cinerum usque in Octauam Paschatis inclusiue, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari sancta Synodus praecipit; in alijs verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut eà quae decet modestià & honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum.

Sicut in homine, tametsi pars exterior brutum quiddam sit, interior forma caelestis est; ita quòd ipsius natura seruetur, quamuis exteriora opera sint brutum quiddam, principium interius oportet ut caeleste quiddam sit.